

1177

1994  
A  
1386









5.

CONCLUSIONES IURIDICÆ,  
SATISDATIONVM  
IUDICIALIVM PRÆ-  
CIPVAS, ANNEXA FERIARVM  
& Dilationum breui Tractatio-  
ne, exhibentes.

QVAS

*SS. Triade adspirante.*

PRÆSIDIVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.*

D. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
D. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Florentissimo Antiquissima Agrippinensis Vniuersitatis, Iu-  
ridica Facultatis Collegio, publico examini  
submittit,*

IOAN-IACOB Waiss / Linzensis Austrius,  
Anno 1629. die 15. Martij.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



CONCLUSIONES IURIDICAE

SATISDICTIONVM

IUDICIALIVM PRAE-

CIVAS, ANNEXA FERIVM

& Distinctionum huiusmodi

ne, exhibentur.

QVAE

12. Titulo obsequuntur.

PRAESIDIUM

Christophoro Gumpelshofer, DD.

D. PETRO OSTERMANNO, I. V. DOCTORE, &

D. ARNOLDO MARCO, SS. II. LICENTIO,

respective Doctorum & Licentiarum

In Universitate Augustanae Agrippinae, in

rebus Facultatis Collegii, publico examine

habentur.

IOHANNES IACOBUS SPINER, Licentia Augustanae

Anno 1622, die 17. Martii.



CONTRA NOTARIUM

Exemplum huiusmodi, prope Augustinam

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT







DISPUTATIO V.  
DE SATISDACTIONIBVS.  
CONTINUATIO.



Actenus Citatio, Libellus, ingressum Iudicij constituit; nondum plenè. Superfunt ex ordine, quæ eidem fini, scopo seruiunt, litem morantur, non tollunt, SATISDACTIONES & nonnullæ è CAUTIONVM iudicialium numero, quæ delibandæ breuiter.

CONCLUSIO PRIMA.

**V**ocatio in ius, reo protinus sequendi necessitatem imponit; quam tamen, tum temporis fortè importunam, rebusq; suis dispendiosam, cautionis remedio à Prætorè introducto, euitare licebat, quod occupationibus hominum, atque ipsi humanitati datum ait *V Vesenb. in Parat. ff. in ius vocati vt eant.*

2. Quo simul vtilitati actorum prospectum est, ne aduersariorum frustrationibus deluderentur diu; sed cautionis veluti repagulo constricti, Iudicij censuram subire necesse haberent. *Oldendorp. Clas. 1. Act. 6.*

3. Respicit itaque hæc cautionis species, de qua *Tit. qui satisd. cog. & seqq.* (de stando iuri, vel iudicio sisti vulgò appellata) litis primordium seu ingressum, distincta ab ea, quæ ad litem totam pertinet. Cautiones quippe, quæ firmandi iudicij causa adhibentur, vel ad personas litigantes referuntur, vt sunt: iudicio sisti, rem ratam haberi: vel ad litis æstimationem, vt iudicatum solui. *Vult. n. 7. & 8. Inst hoc tit* de quibus postea.

4. De illa iudicij sistendi cautione, quæ in principio litis attenditur, primo loco acturi, distinguemus eam, secuti *Hottom. in pr. Inst. de Satisd.* in nudam, quæ promissione fit; eaque vel simplici, vel iuratâ: & nudam quæ datis fideiussoribus. *Illico Vmm. d. ff. ad process. iudic. 9. th. 1.* De singulis speciebus paulò post, cum prius communem harum naturam considerauimus.

5. Cautio hæc, vt aliæ, à Prætoris iurisdictione originem habet *l. 1. §. 5. ff. de Prat. stip. qui cauere recusantem*, missione in bonorum possessionem, aut si de re mobili actio est, ipsius rei sequestratione coërcet. *l. 7. §. fin. ff. qui*



*satisfd. cog. & ibi Costal. in Aduers.* Atque ea in iure facienda est, *arg. tit. In ius vocati vt eant. iunct. l. 1. Eod. & tit. si quis in ius vocatus non erit.* Nec probanda *Ant. Fabri* opinio ad *l. 8. ff. h. t.* aliam cautionem de sistendo in iure apud Prætozem, aliam iudicio sisti apud pedaneum iudicem existimantis, quem refellit *Hillig. in not. ad Donel. lib. 23. c. 9.*

6. Præstari hæc solet, cum de ea inter litigantes conuenerit: nec præcisâ necessitate reus adstringitur; vt tutor, usufructuarius, legatarius, hæres, *l. 8. §. tutor. 4. hoc tit.* quorum satisfdatio ex edicto, ipsi rei & actiui annexa est; sed statim in ius veniendo, eam potest declinare. *t. r. ff. in Ius voc. vt eant aut satisfd.*

7. Inde haud malè iudicium sumi queat, An hæc cautio simplex, an duplex, necessaria & voluntaria dicenda? Posterius *Cuiacio 22. obs. 26.* placet, & *Treut. vol. 1. disp. 5. th. 1.* Probabilius tamen *Bacchou. cum Dd.* simplicem & vnâ eius naturam defendit, *in not. ad Treut. disp. 5. th. 1.*

8. Versatur ista litigantium conuentio, circa diem iudicij statum; de quo si inter se dissideant, stipulatoris arbitrio determinandus est, ita tamen, ne spacium illud actorem nimium coarctet, aliàs iudex moderabitur. *l. 8. & Accurs. in gl.* Licet Triboniani manum hîc notet *Cuiac. d. obser. 26. & Ant. Fab. ad d. l.* magis tamen est, vt eum *Oldend. class. 1. act. 6. quest. 8. & Gædd. ad l. 3. in pr. de verb. sign. uum. 20.* eam defendi posse putemus.

9. Cur Actori plus quam reo concedatur, contra *l. 125. ff. de R. I.* disputant *gl. & Dd. hîc.* Placet ratio, quod in præparatorijs litis fauorabiliores actores reis habeantur, quam cum suis limitationibus & obiectionibus explicat *Iason in d. l. n. 2. Petrus Cost. hîc. Gædd. d. l. n. 21. & 22.*

10. Reo non minus atque actori, vt *thes. 1. & 2. dictum*, utilis isthæc cautio est: huic, vt eo nomine sit securus, & actio salua maneat: illi, vt à iudicij molestia ad tempus liberetur. Inde desertâ promissione atque die exhibitionis elapso. *l. 10. §. 1. ff. si quis caut. in iudic. sistendi causa fact.* non solum actori contra principalem & fideiussores. in eius quod interest veram quantitatem. *l. 2. §. in fideiussorem. 5. l. 3. & 4. ff. qui satisfd. cog. vel poenam certam, si adiecta sit. l. 3. ff. si quis in ius vocat.* condictio competit: Sed & actio in factum Prætoria conceditur illi, qui ad cauendum, sicut iure tenebatur, nō est admissus, quæ & ipsi fideiussori præstanda, *l. si vero. 5. §. 1. ff. qui satisfdare cog.* Quod benè ab *Oldendorp. class. 1. act. 6. quest. 5.* extenditur aduersus eos, qui recusant admittere cautionem iuratoriam vel promissariam.

11. Tum demum verò ob commissam stipulationem conuenitur reus, si exceptionibus legitimis agentem repellere nequeat, quæ enumeratæ passim in *tit. Si quis caut. in iud. sistendi caus.* ad duo genera reuocari possunt; quod vel totam cautionem perimant, vel tantum excusationem & liberationem à poena præstent.

12. Prioris generis exceptiones aut statim in principio cautionis apparent, vt si à seruo *l. 9. & 13. ff. d. t.* vel ex errore citra aliam conuentionem pro-



promittatur, l. 4. §. vlt. eod. aut postea emergunt; vt est, transactio, l. 2. hic in  
pr. interitus rei promissæ, item actionis principalis. l. 10. §. 1. & 2.

13. Posterioris generis dantur vel ob necessarium impedimentum, vt sunt,  
absentia Reipub. causâ l. 2. §. 1. l. 6. & 7. hic. testimoniû in iudicio præstandû,  
l. 2. §. 2. detentio à magistratu facta, cui reus causam non præbuit d. l. §. vlt.  
vincula & custodia militaris. l. 4. §. 1. Seruitus. §. 3. condemnatio ex causa ca-  
pitali ante iudicij diem facta l. 4. in pr. item valetudo, furor, tempestas vel  
vis fluminis, l. 2. §. 3. & 4. & seqq. l. 4. §. 3. vteri gestatio, l. 4. §. 2. Bus.  
in Comment. ad Pand. Vel dantur ob personam tertij; vt cum à correo res  
petitâ est, poenæ nomine agens submouetur, l. 5. §. 1. idem est quando pater  
ex promissione filij conuenitur. d. l. §. 2. ex personâ pupilli tutori datur post  
finitam tutelam. l. vlt. hic.

14. Ad singulas, supra thes. 4. cautionum, quæ iudicij sistendi causâ fiunt,  
species veniendo: potissima illa censetur, quæ præstatur datis fideiussori-  
bus, & satisfationis nomine venit.

15. Et cum Prætoria sit, eam solis fideiussoribus, non pignoribus fieri  
debere, manifestum est, l. fideiussor. 2. in pr. §. 1. & 2. l. si decesserit. 4. ff. qui sa-  
tisf. cogant. l. Prætoria. 2. ff. de Prætorij stipulat. Qui duo satisfandi modi in l.  
Ergo. 4. §. 8. ff. de fideicommiss. libert. & l. 16. §. vlt. ff. quib. mod. pignus solu. in-  
uicem opponuntur. Diss. Gloss. & Dd. hic. Idque etiamnum hodie iure No-  
uellarum obtinet. N. 53. c. 2. & 3. N. 117. c. 2. licet excussionis beneficio fidei-  
iussor ante principalem conueniri non possit. N. 4. c. 1.

16. Ratio huius fideiussoriæ satisfationis, quæ pignora excludit, in la-  
boriosa illorum custodia posita est, cui actor se subijcere teneretur l. quem-  
admodum. 2. §. magistratus. 7. ff. ad L. Aquil. Aliam addit Bacchou. dict. loc.  
thes. 2. quod cautiones Prætorix, vt plurimum super incertâ æstimatione in-  
terponantur, ac proinde, cum quæ & qualia pignora danda sint, ignoretur,  
fideiussores dari, satius Prætori visum fuerit. Prolixè Donel. ad l. 5. §. satisfac-  
ceptio. ff. de V. O. n. 3.

17. In fideiussore duo requirimus. I. Vt eius persona ad obligationem  
alienam suscipiendam sit idonea: talis non est mulier. l. De die. 8. §. qui mu-  
lierem, ff. qui satisf. cog. t. t. ff. & C. ad SC Vell. nec miles. l. 31. C. locati. nec  
seruus, qui, præterquam in rem peculiarem, aut iussu domini, fideiubere  
nequit. l. 3. §. 5. 6. 8. ff. de pecul. Cuiac. 9. obs. 11. II. Vt pro rei qualitate sit lo-  
cuples. Idque censetur tum ex facultatibus, tum conueniendi facultate.  
l. fideiussor. ff. qui satisf. cog. & ibi Iason. tertium addit, possessionem immo-  
bilium. Vide Hering. de fideiuss. c. 8. num. 52. & seq. De quibus si dubitetur,  
ab arbitro probandi sunt, ab eorumq; arbitrio ad competentem iudicem  
prouocatur. l. 9. & 10. d. t.

18. Verum excipiuntur à Prætoribus in l. 2. §. 1. d. tit. & l. 7. ff. de in ius vocati  
vt eant. certæ personæ, à quibus pietatis intuitu fideiussor qualiscunque  
accipiendus, quantum scilicet ad facultates attinet. Nam qui ita inhabi-



lis est, vt ex fideiussione planè non obligetur, omnino repudiandus l. 2. §. 4. *Hering. d. c. 8. n. 95.*

19. Semel probatus ab actore fideiussor improbari nequit, nisi insignis calamitas accidat, l. 10. *in fin.* vel ex alia causa prior satisfactio euanescat, renouanda est, l. 8. §. *si fideiussor. 3. h. c.* An verò vnus sufficiat, an plures dandi? Prius cum *Vvesemb. in parat. h. t. n. 7. Trent. supra cit. loc. th. 7.* asserendum putamus. Planè iudicis arbitrio locum dabimus, qui æstimet, sufficienter per vnum cautum sit, necne?

20. Sequitur iuratoria cautio, (dicta adiuratoria in l. vlt. *in f. C. de Castrens. & minist. l. vlt. C. de princip. agent in reb.*) quæ est promissio, facienda ab eo, qui vel ex priuilegio, huic relinquitur, vel necessitate aliter cauere nequit.

21. Priuilegio hoc gaudent; Personæ illustres, l. pen. *vbi Cuiac. C. de dignit.* Magistratus post administrationem depositam intra 50. conuenti. l. 1. *C. vt omnes iud. tam ciu.* Scholares, l. vlt. §. 3. *in f. C. de priuileg. Schol.* Memoriales in sacris scrinijs militantes, eorumque parentes & liberi l. *in sacris. 12. C. de prox. Sacr. scrin. lib. 12. t. 9.*

22. Necessitate iurant, qui idoneos fideiussores aut bona non habent. *Auth. generaliter. C. de Episcop. & Cler.* quod ipsum iureiurando probare coguntur. Idque non tam ex communi opinione, vt sentit *Meier. in Colleg. Argent. th. 8. tit. qui satisf. cog.* Quam expresso textu, N. 134. c. 9. & N. 112. c. 2. defenditur. *Vmmius disp. ad process. th. 6. n. 22.*

23. Ab hac tamen iurata cautione arcentur, qui antea eam deseruerunt. *Cuiac. in N. 53.* qui que ob vitæ leuitatem fideiussores inuenire nequeunt. *Hering. c. 18 num. 109.* De forma iuramenti vid. *ap. eund. d. l. n. 87. & Ayres. process. p. 1. c. 10. obs 7.*

24. Nudæ promissioni committuntur bona immobilia possidentes. l. *sciendum. hic l. 1 § 5. ff. de Præt. stip. nec iurare coguntur.* *Diss. Cuiac. 12. obs. 22. Hillig. ad Donel. sup. d. l. lit. 1. per l. 8. C. de Princip. ag. in reb. lib. 12. t. 22.* Huc referendi Clerici, l. 25. §. 1. l. 33. *C. de Episcop. & Cler. Nou 123. c. 21. §. 2.* Dissentit *Zangerus de Except. part. 2. c. 21. num. 47.* Ab Episcopis nulla omnino cautio exigitur. *d. N. c. 22. in f.* Et ex *Edict. Iustiniani. 7. c. 5.* argentariorum promissio sufficit.

25. Rationem assignat *Vvesemb. in parat. hic num. 11.* quod pro prædibus prædia habeantur, ita vt frustrante reo, bona in pignoris causam capi & distrahi possint. Hanc, cæteris quoque Prætorijs cautionibus communem, haud malè improbat. *Hillig loc. sup. cit. cum l. sciendum. 5.* ad solam iudicio fisci pertineat. Potior est fugæ suspicio, quæ in bona immobilia possidentem, difficilior cadit.

26. Illud maximè controuertitur à Dd. an bona immobilia hypothecæ nomine actori sint obliganda? Ita docet *Iason. in l. 1. & l. 15. §. vlt. h. t. Bart. in l. 1. num. 2. eod.* sed non sine ratione improbatur à *Vvesemb. in Continuat. Schneid. n. 11. Inst. de satisf. Bach. th. 2. lit. C.*



27. Et hæcenus de prima specie litis, vt ita dicam, præparatoria. Altera quæ iudicij sistendi causa ad totam litem fieri consuevit, præstatur tam ab Actore, quàm Reo. Reus pro personæ qualitate, nudâ, seu iuratâ promissione seu satisfatione, cauet, se vsque ad terminum litis in iudicio permanurum. *S. sed hodie Inst. de satisfd. & ibi Mynsig. & Bacch. in comm. ad Inst. Cuiac. in parat. C. de satisfd.* Huc accommodari possunt pleraque superioris dicta.

28. Pari modo Actoris cautio se habet, quâ itidem ad finem vsque controuersie in iudicio se sistere obligatur. *Auth. libellum. C. de litis contest. & Auth. quod fieri. C. de dilat. N. 12. c. 2. VVurm. pract. obs. tit. 10. obs. 5. Hart. lib. 1. tit. 5. obs. 3.*

29. Præter hanc & aliæ duæ à Iustiniano inuentæ sunt, quæ magis liti inchoandæ subseruiunt. Priore cauet actor, intra decem dies in iudicio se exhibiturum, *N. 53. c. 1.* Alterâ intra duos menses, à tempore libelli porrecti, litem contestaturum. *N. 96. c. 1. l. Auth. Libellum. Hartm. obs. 3. Rittershus. in Nou. p. 9. c. 3.*

30. Hæc tamen omnes ab vsu fori recessisse, testatur *Sich. ad Auth. Offeratur. C. de litis contest. Emer. à Rosbach. prax. ciu. t. 46. n. 6.* vt tantum vestigia locis quibusdam supersint. *Zang. part. 2. c. 21. n. 8.* Quod malè ex vsu Reip. factum, conqueritur. *Oldend. Cl. 1. act. 7. inf. Ventura de Valent. in Parthenio litig. l. 2. c. 13. Rittershus. d. l. licet secus videatur. Gothof. ad Auth. Generaliter. C. de Episc. & Cler.*

31. Succedit altera iudicialium cautionum species, quæ ad personas litigantes refertur: Rem ratam haberi. Præstari hæc debet ab omnibus, qui alieno nomine, mandato domini certo destituti in iudicio experiuntur, *l. 33. S. ait Prætor. l. non solum. 24. S. qui alieno. ff. de procurat. l. 1. C. de satisfd.* quin & à personis coniunctis, quæ citra mandatum admittuntur, de quibus *in l. 35. in pr. l. 41. S. fin. ff. & l. 21. C. de procurat.* Casus, quibus mandatum redatur incertum, explicat *Donel. 18. Com. 13. Spec. de satisfd. S. 3. n. 5.*

32. A procuratore rei in actionibus personalibus vt exigatur, velut *Oldend. act. . quest. 4.* ratio sufficiens vix apparet, Nam cum domino ratum non habente, ad iudicatum soluendum, vi satisfationis de eo præstitæ, efficaciter teneatur; nil interesse actoris potest, eum dupliciter grauari. *l. Non cogendum. 45 S. 2. ff. de procur. Donel. 8. com. 13. VVesemb. in supplem. ad Schneid. n. 8.* Excipitur casus *l. tutor. 6 ff. rem ratam hab. l. 39. S. vlt. ff. de procur.* secus est in realibus actionibus. *l. Pomponius. 40. S. sed is. d. l. 39. S. pen. ff. de procur.*

33. Commissa hæc stipulatio intelligitur, cum primùm dominus de re gesta certior factus eam improbat, aut actum retractat. *l. 12. vlt. ff. rem rat. hab. quod è πλάτῃ accipiendum monet. l. 12. S. Iulianus. S. seq. l. 15. 16. S. si procurator. ff. eod.* Proinde domino implorante restitutionem prætextu ætatis, aut à sententia prouocante non committitur; quia idem faceret domi-



mus, etsi ipse in iudicio petijffet, *l. 3. hic. Duar. ad hunc tit.*

34. Agitur ex eâ aduersus promissorem, eiusque fideiussores, ad id quod interest, dominum ratum habuisse. *l. si commissa. 13. l. si procurator. 18. & seq. h. t.*

35. Superest ex cautionum iudicialium ordine illa, quæ ad litem ipsam dirigitur, eamque vel totam, vt iudicatum solui: vel eius partem, sc. expensas.

Prior, iudicatum solui, datur pro litis æstimatione, in casum, quo ea res iudicetur, vel non defendatur. Huius tres sunt clausulæ: vna, de iudicato soluendo, altera, de re defendenda, & tertia de dolo malo, *l. iudicatum. 6. ff. iudicatum solui.* quarum primâ, vtputa præcipuâ, sublatâ, cæteræ quoque euanescent. *l. si acceptum. 29. ff. de accept. l. 13. h. t. Cuiac. 10. obs. 20.*

37. Hodie hæc cautio ab eo duntaxat exigere potest, qui alieno nomine causam defendit, iuxta reg. Quod nemo alienæ rei idoneus defensor sine satisfactione intelligatur. *l. qui proprio. 46 §. 2. l. 53. ff. de procur. l. 14. ff. qui satisf. cog. l. qui alienam. 166. & l. 110 §. 1. de R. I. pr. & §. pen. I. h. t. Socin. reg. 83.* Quod tamen distinctionem recipit ex § *si vero. Inst. h. t.* vt si ipse reus in loco iudicij, vel extra locum pro procuratore suo, iudicatum solui satisfaciat, liberetur; sin absens sit, tum ipse procurator compellatur, *Vult. lib. 2. Iurisp. c. 30. Zang. 2. 21. n. 53.*

38. Ex prima clausula, quæ statim post rem iudicatam committitur, si contra eam fiat, duobus remedijs actori consulitur: vt vel agat ex stipulatu cum fideiussoribus, vel actione in factum rei iudicatæ executionem urgeat, aduersus ipsum reum condemnatum. *Vult. Inst. de satisf. in fin. temporis quadrimestris, quod reis eorumque fideiussoribus indultum est, l. 2. & vlt. C. de Usur. rei. iud. obseruatâ ratione.*

39. Ob rem non defensam ab illis, qui defendere debebant, vel nullo eorum amplius existente, *l. 3. §. ob rem. ff. iud. solui.* vt & ob dolum, si stipulatio generaliter concepta fuerit, à quocunque commissum, promissor & hæredes tenentur. *l. Nouissima clausula d. t. Old. c. 1. act. 7.*

40. Quæ ob expensas litis est, actori imponitur, vt caueat de sumptibus, in casum succumbentiæ, vt vocant, reo refundendis. *Auth. Generaliter. C. de Episcop. & Cler. N. 112. c. 2.* & hæc in plerisque Curijs frequentatur. *Berlich. conclus. pract. part. 1 c. 20.* Imò urgente reo, à iudice regulariter iniungendam esse, nisi contrariâ consuetudine eius iudicij cui præest, aliud sit receptum, affirmat *Zang. sape d. loc. n. 15. & Vmmius disp. ad process. 9. thes. 2. n. 11.* Eaque in casu, quo extraneus subditum imperij conuenturus est expresse exigitur. *Ordin. Cam. part. 3. tit. 49. §. fin.*

41. Inter exceptiones, quæ reo, ob commissam iudicio sisti stipulationem conuento, conceduntur, etiam feriæ & dilationes computantur. *Cuiac. & Vesem. in parat. hic.* De quibus, serie titulorum ita iubente, pauca annectemus.



## DE FERIIIS.

42. Feriæ, à feriendis hostijs dictæ, Auctore *Festo lib. 6.* sunt dies, vel à negocijs omnibus, vel iudicialibus quieti *Donel. lib. 24. c. 7.* Sunt aliæ solennes & ordinariæ, siue perpetuæ, quarum dies certo iure constituti recurrunt: Aliæ extraordinariæ, repentinæ dictæ *in l. 3. C. de dil. ut.* seu temporales, quæ pro re natâ, in honorem Principis ob res prosperè gestas, inaugurationem, triumphum, vel etiam publicam calamitatem, hostilitatem, seditionem, indicuntur, *d. l. 3. l. 26. §. 3. ff. quibus ex caus. maiores. Spec. de fer. §. num. 3.*

43. Solennes sunt, vel sacræ, quæ diuini cultus causâ obseruantur, vt dies Dominica, *l. 2. 3. l. vlt. C. de ferijs.* & festa, tum immobilia; vt Natalis & Epiphaniarum, & septem qui præcedunt & sequuntur, Festa Apostolica, *l. 2. l. 7. C. d. t.* Tum mobilia; vt, dies quindecim Paschales, *l. 2. §. 7. C. hic.* dies quadraginta, qui auspicio ceremoniarum Paschale tempus anticipant, *l. 6. C. d. t.* Vel prophana, quæ ob necessitatem ad colligendos fructus sunt introductæ, vt messium & vindemiarum causâ, *l. 1. ff. hic.* vel citra eam; vt: Natalis vrbs Romæ & Constantinopoleos, Natalis Imperatorum, & quo is ad imperium est adscitus, *l. 7. C.* Item qui honori magistratum vacabant, *l. 5 ff. hic.* & feriæ Nundinarum, *l. vn. C. de nundin. & mercat.* Ferias in Camera definitas. vid. *in eius Ordinat. part. 3. c. 33. Schvvanm. Process. Cam. lib. 1. c. 25. Rulant. de Commiss. p. 1. lib. 5. c. 5. n.*

44. Feriæ solennes ipso iure sunt constitutæ; tempora tamen messis & vindemiarum, pro locorum consuetudine & fructuum maturitate magistratus moderari potest, *l. 7. in pr. ff. de Off. Procons. l. 4. ff. h. t.* Nec pugnat *l. 4. C. eod.* siue eam de repentinis & honorarijs intelligas, vt *Pac. ἐναυτιοφρονῶν. q. 81. & Gothof. ad d. l. siue generaliter, vt mōstrat Hillig. ad Don. l. 24. c. 7. lit. E.* Quin & ab inferioribus magistratibus ferias statutas, intra fines sui territorij valere putat. *VVesemb par. hic. n. 4. & Rosbach. process. civil. t. 38. nu. 7.* id tamen ad magistratus immediatè imperio subiectos restringit. *Boc. Cl. 6. disp. 16. th. 10.* Repentinæ, olim à magistratibus maioribus indictæ, hodie ab Imperatore conduntur, *l. 4. C. hic.*

45. Non tamen in omnibus, nec eodem modo ciuilibus negocijs interdictum est; quod distinctione factâ inter ferias diuinas & humanas, & has vel ob publicam, vel priuatam causam institutas, rectiùs apparebit.

46. Diuinis, seu festis diebus, quibus vicaria pœnitudo requiritur, & supremi Numinis cultus, *Leuit. 23. v. 3. & 8. Esa. 58. v. 13.* non solum à ludis scenicis, certaminibus, & omnibus voluptatibus minus honestis, *l. 7. & vlt. C. h. t.* sed & omnibus ciuilibus & criminalibus causis abstinendum, nisi eas exequi iubeat vel necessitas, vt sunt; agriculturæ opera, *l. 3. C. h. t.* debitoris de fuga suspecti, *Maranta. part. 4. d. st. 16. nu. 9.* vel delinquentis, incarcerationio, *Iason. in l. Diuus Traianus hic. n. 5.* item res vel actiones tempore



pore perituræ, *Gail. 1. obs. 53. num. 13.* vel pietas; vt captiuorum è vinculis relaxatio, *l. 3. C. de Episcop.* aut, nisi crimen grauius sit, processus in causis pijs, pauperum, scholarium, alimentorum, *Scaccia. 2. de iudic. c. 5. n. 43. & seq.* & quæ pijs accensentur, vt emancipatio, manumissio, *l. 3. §. 1. ff. hic. l. 2. & 8. C.* imo & alij contractus, quibus à lite disceditur, *Spec. §. 2. n. 1. de fer.* non verò omnes iurisdictionis voluntariæ actus, vti voluit. *Maranta. d. l. num. 85.*

47. De ferijs ob publicam causam, idem est iudicium, *l. 7. C. h.* At quæ priuatæ vtilitatis vel necessitatis gratia obseruantur, non omnem ciuiliū rerum tractationem adimunt. Possunt enim causæ fiscales & pistoriæ messis & vindemiarum tempore suscipi, *l. 5. 7. C. hic.* tutores & curatores constitui, & alia, quæ recensentur. *in l. 2. & 3. ff. h.* libellum quoque Præsidi offerre, die feriato permissum, *l. 11. §. 6. ff. ad L. Iul. de adult.* & quæ de plano expediuntur, peragere.

48. Sanè in eo hisce cum prioribus conuenit, quod actus iudicis tempore feriarum nullus sit, sententia nulla, *l. 1. §. 1. ff. hic. c. fin. extr. de ferijs.* executione careat, *l. 6. eod. Maranta d. l. num. 81.* & citatus ad diem feriatum in pœnam contumaciæ non incurrat, *l. 2. in f. ff. si quis in ius vocat non ierit.* & citationem, in qua festus dies nominatus, iure non valere, tradit *Gail. 1. obs. 53.* certè nec insinuationem, nec executionem illius faciendam, patet ex *l. vlt. §. 1. C. h.*

49. Verùm non æquè omnibus renunciare licitum, sed posterioribus tantum; quia magis partium, quam publicum fauorem concernunt, *l. 1. §. vlt. ff. hic. Gail. d. obs. num. 16. & 17. Rosbach. tit. 38. n. 10. 11. Vant. de nullit. ex def. D. iurisd. n. 130. Marant. n. 83.*

50. Discrepantibus ferijs, actoris, rei, an iudicis attendi debeant, scrupulo non caret? Posterius probandum videtur; quia quoad solennitates, consuetudo loci obseruatur, vbi actus celebratur. *l. testium. 3. §. fin. ff. de testib. l. si fundus 6. ff. de euit. l. 1. C. de emancip. lib. Gail. 2. obs. 123. num. 2.* nisi propter religionis diuersitatem aliud dicendū sit. *Bacch. th. 9. ad Trent. hic.*

### DE DILATIONIBVS.

51. De dilatione dicere restat, quæ definitur communiter certi diei seu termini assignatio, quo causam tractari oportet, cum iusto temporis interuallo facta. *VVes. impar. C. de dilat. vel diffisio diei iudicij, l. 2. §. 1. in f. ff. si quis caut. iud. sist.* qua pendente cognitio in modum aliquem sustinetur, *l. 36. ff. de iudic.* & officium iudicis conquiescit. *l. 3. C. hic.* Datur vel à lege, cuius exempla passim in *tit. C. de ferijs l. 2. 3. C. de vsur. rei iud. vel ab homine, eoque, vel iudice, l. 1. & 4. C. hic.* vel ipsa partium conuentione, *arg. l. 26. ff. de re iudicata. c. pastoralis, §. fin. extr. de offic. deleg.*

52. Iudicalem, de qua nobis hic sermo, impetrant actor & reus. Hic quidem ad deliberandum, cedere an contendere debeat. *l. 1. ff. de idendo.*

Non. 53.



*Nov. 53. c. 3. Spec. de dilat. §. 1. n. 18.* vterque vero ad producendos testes vel proferenda instrumenta, aliudue quicquam, quod ratio commoditatis exigat, *l. 1. 2. l. interpretatos. 6. C. hic. l. 99. §. vlt. ff. de verb. sign. Duaren ad hunc tit.*

53. Conceditur dilatio semel tantum in pecuniarijs causis, quod pragmaticorum paradoxis annumerat, *Vigel. post Dial. iuris, parad. 9. Obrecht. de iuram. calum. c. 10. n. 34.* nisi inopinatum aliquid emergat, tum causâ cognitâ iterum indulgeri solet, *l. oratione, 7. ff. de fer. & dilat. Myns. 1. obs. 71.* etiam propter non seruatum terminum aduersarij ius factû sit deterius, vti disputat, *Ilic. Vmm. ad proc. d. 7. th. 4. n. 14.* in capitalibus verò, quas *l. ad l. vlt. ff. hic.* de omnibus criminalibus explicat, reo tres, accusatori duæ conceduntur, causâ prius cognitâ, *l. vlt. ff. h. l. 2. C. vt intra certum tempus. l. 41. ff. ad l. Iul. de adult.* Datur etiam in causis restitutionum, *l. 6. C. de temp. in integ. rest. & fiscalibus, l. 6. C. hic.* in summarijs difficulter, *Clem. 2. de verb. sign.*

54. Cæterùm, cum hæc concessio non nisi causâ cognitâ fiat, à iudice pro tribunali sedente peti debet, qui pro circumstantiarum ratione, locorumq; interuallis tempus constituet, *d. l. oratione. l. 1. & vlt. C. hic. Marant. part. 6. n. 5. de dilat. Sichard. ad l. 3. n. 2. C. de dilat.* quo tempore, ceu continuo, ferias computandas esse, constat ex *l. Siue pars. 3. C. hoc t. Vigel. meth. obs. Cam. l. 2. c. 7. Gail. 1. obs. 53. n. 12.* nisi totam dilationem, vel maiorem eius partem absumant. *Marant. dict. loc. n. 18. Bocer. Class. 6. disp. 15. th. 3. confer Gail. 1. obs. 140. num. 4. & 12.*

55. Sed quoniam dilationes odiosæ sunt, amputabit eas iudex quantum ratio patitur *l. 1. & 4. hic.* suadente tamen æquitate post terminum peremptoriæ elapsam, nouam dare potest, *C. consuluit. extr. de Off. & potest. deleg.* etiam in dilatione legali id procedere, vult *Maranta. d. l. n. 6.* quod negant, *Bacch. sup. d. loc. th. 10.* in illa, quam lex simpliciter actui vel actioni præfinit.


56. Arbitrariam autem iudicis potestatem in dilatione indulgendâ, ultra tertiam & quartam non extendendâ, probant *Gail. 1. obs. 91. n. 4. & 5. Myns. 1. obs. 72. & comm. Dd.* ad eò vt nec hæres quintam impetrare valeat, nouam possit. *Myns. 1. obs. 73.* quartæ tamen prorogatione admittunt, *Gail. & Myns. dict. loc.* Imò & prorogationis factæ prorogationem esse notauit. *Addit ad Hart. Hart. 12. obs. 3.* Denique & tertio prorogationem, licet difficulter valde, impetrari posse ait. *Rulant. 1. de commiss. 2. c. 10. n. 14.*

57. Dilatione concessâ temporis præscriptio non currit, *l. 2. §. 7. ff. de iudic. l. 1. de diuers. temp. præscr. N. 115. c. 5. §. 1.* officium iudicis quiescit, *l. 3. C. hic.* & vni parti concessa alteri quoque prodest, *l. 6. §. 1. C. de temp. in integ. restit. l. 7. C. de postul.* quia beneficium vni ex litigantibus competens, etiam alij conceditur, vt æqualitas seruetur. *l. vlt. C. de fruct. & lit. expens.* neque illi in præiudicium alterius partis renunciare permittitur, *l. si post. 10. §. fin. ff. de bon. possess. contra tab. Soarez. in thes. recept. sent. lit. D. num. 76. Iul. Clar. in §. fin. quest. 48.*



58. Sin iniusta fit dilatio, laesa pars Principis auxilium implorare potest, l. 12. C. de iudic. Hodie, cum etiam ab interlocutoria appellare liceat, si denegata penitus aut brevis nimium seu longior aduersario assignata fit, appellationem dari, notat Sich. ad l. 1. C. hic. n. 8. Boc. d. loc. th. 39. Quod si non pro tribunali, & citra causae cognitionem data sit, etiam nullitatis remedio uti licebit, Boc. th. 41.

F I N I S.






X 2874408

94 A 7386


VD 17












Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



5.

ES IVRIDICÆ,  
**TIONVM**  
**IUM PRÆ-**  
**XA FERIARVM**  
 reui Tractatio-  
 bentes.

AS  
*adspirante.*

DIBVS  
*issimis Viris, ac DD.*

NNO, I. V. Doctore, &  
 s, SS. LL. Licentato,  
 atore & Fisco.

*grippinensis Vniuersitatis, Iu-*  
*gio, publico examini*  
*tit,*

3 / Linzensis Austrius,  
 die 15. Martij.

**GRIPPINÆ,**  
 ich, prope Augustinianos.

